Frid. Zamell

EPIGRAMMATUM
Liber IX. & X.

ELBINGÆ
Typis BODENHAUSIANIS
Anno M. DC. XLI.

Ad Lectorem.

CRede mihi Lector, nisi non peritura putarem
Carmina, nî nostrum fama maneret opus;
Vt mea propitiæ veniant ad cœpta Camœnæ,
Desererem Aonios paupera regna focos.
Vellat ô auriculas hæc indignatio Regum!
Plus animi nobis ingeniiq; foret.

ILLUSTRI ADMODUMQ; REVERENDO DOMINO

GREGORIO BORASTO

Eccleſiæ Varmienſis Canonico, Regiæq; Majeſtatis Poloniæ ac Sveciæ Secretario &c. Domino ſuo plurimùm obſervando. S.

ILLUSTRIS DOMINE,

Cum aliis mortalium alia videantur optima; ego literarum ſtudiis nec præſtabilius quicquam nec jucundius eſſe, ſemper exiſtimavi. Atq: ut ita ſentirem, non tam Philoſophorum, qui aſſertores literarum ſunt acerrimi, adduxit me autoritas; quàm omnium univerſarum gentium, ſi quæ hactenus inclaruêre, illuſtre exemplum impulit. Quotquot enim ex iis literas coluêre, id præſtant hodieq;, ut nusquam in occulto ſit colentium humanitas. Exinde quoties ea mecum cogito, ſubit admirari non paucos: qui, tametſi animus eis atq; opes adſint, aut dignitate literarum commendari nolunt; aut ſi eas nec parùm deguſtaverint, abjectâ curâ ipſarum & voluptate frivolis animum geniumq; expleri malunt. Quorum inſaniæ eſt ubi locum dederis, niſi obtrectando bonis negotium faceſſerent. Neq; ego

utriusq; noſtrûm inſtituti non ambitioſus jactator digitum verterim, niſi qui fuiſſent odio me proſecuti eò, quòd Muſas amarem. Sed cùm dubitem, utrum plus amori meo in illas, an quorumdam invidiæ hunc excitanti debeam; conſumtâ ipsâ protervià rabieq; nihil queror amplius: id conſecutus, ut jucundisſimo literario otio, quod vetus ille prædicat, uberiùs ſecurèq; perfruar: accedente præſertim amicitiâ, quam Tu tamtopere extollis, tot virorum: qui ubicumq; terrarum ſunt, ſuorum civiũ ſunt probatisſimi. Quos inter Tu, Illuſtris Domine, pulcherrimæ Te rei uſu mihi arctiùs conjunxiſti, ac velut alter Tullius alterum me Archiam humanisſimè foviſti, noxâq; Svecanâ expiatâ Patriæ divis etiam carum reddidiſti. Tibi acceptum fero,

Ludentem calamo nimbos penetraſſe domusq;
Ætherias; aquilâ non eguiſſe Iovis.

Iam diu igitur obſervantiæ meæ erga Te teſtandæ animo duos hoſce liberos meos nonum & decimũ Epigrammatum poſtremos hujus decadis libellos Tibi deſtinavi; eâ ratione, ut ſi quid poſt priores opellas aptius demum ſepto meo exiiſſet id Tuo nomini dicatum ſacrumq; eſſet. Admitte eos, vir illuſtris, his oculis huic animo, quibus omnem nubem diſpuliſti, quoties ſimul viximus. Quod reliquum eſt, diutisſimè vale vigeq;, ac quoad vita ſupererit, Tui honoris cultorem Zamelium benevolentiâ complectere. Dabam Auguſtæ Ælvæonum Pridie Iduum Sextilis anno ſal. n. M. DC. XLI.

LIBER IX.

Ad Calliopen.

MIssa Borastéas Heliconia diva sub ædes,
Quid dices illi, Calliopéa, viro?
Fare Tuum caruisse suo Cicerone Poetam,
Ter centum & decies plùs minùs octo dies.
Nec mihi jam multo mittentis epistola lecta est
Tempore, pro Domino quæ mihi sæpe fuit.
Hoc quoq; dic illi: tum longa silentia passum,
Ingratas tamdem me soluisse moras.
Protenus ille Tui demissus in oscula vultûs
Accipiet placido carmina nostra sinu.
Facundi Proceres semper coluêre Poëtas.
Par Gothicus Latio cum Cicerone facit.

Illustri Dn. Gregorio Borasto Canon: Eccl. Varmiensis, Poloniæq; ac Sveciæ Regis Secretario &c.

TV quem Roma suos inter numeravit Amores,
Quem Rex Sarmatici delicium Orbis amat.
Qui quoties mea cumq; vides, ea texta Poëtæ
Dicis (& ex illo glorior esse) Tui.
Hæc Tibi propritim sacrata, Boraste, legentur:
Propritimq; Tui pignora Vatis erunt.
Si fortè auscultat, triplicem qui terruit Orbem,
Cuî Gothus & Moschus Thraxq; dedêre manus:
Et quo proficiam de Te si fortè rogabit,
Dic: illi à silvis provenit iste vigor.
Alterius nunc spernit heri succedere fago.
Deponet calamos: non habet ipse nemus.

Feli-

Felicissimo Principi Vladislao IV.
Poloniæ ac Sveciæ Regi.

QVi Rhodopen habitant perq; Ismara celsa lacessunt
Armorum studiis belliq; cupidine longum
Pacis opus, populus semper Mavortis aviti
Assertor, nuper sed res turbare Polonas
Ausus, ubi incubuit primo discrimine pugnæ,
Fortunam didicit post omnia Numen habere,
VLADISLAE, Tuam. Neq; enim prudentia deerat.
Sed casus vicêre Tui. Quocumq; sub axe
Inferres Aquilas vexilla domestica terris;
Ingentes cecidêre animi, præcepsq; resedit
Ira tyrannorum, cùm nunc durata pruinis
Æternoq; gelu Riphææ examina gentis
Iugranæq; manus; nunc Sole liquentia multo
Corpora Maurorum funestâ clade jacerent.
O superis dilecte diis! dilecte vel ipsis
Hostibus ex merito! Quoties victoria lætos
Expediit fasces niveis ingressa quadrigis;
Servatum genus omne fuit, quod dicere grates,
Quod meriti resonare Tui præconia posset.
Te quem simpliciùs, Rex optime, barbara mactat.
Natio, felici memorabunt carmine Vates.
O utinam primas liceat mihi sumere partes,
Quem Tu post Geticos jussisti ludere casus!

PERILLVSTRI ac GENEROSISSIMO DOMINO,

DN. SIGISMVNDO GULDENSTERNIO
Lib. Bar. in Vogelvvick & Lundelholm. S. Reg. Majest Poloniæ & Sveciæ Consiliario intimo, Præfecto Stumensi &c. &c.

SIgismunde Tuæ qui stemmata gentis ab auro
Et facibus cœli ducis, amice Deûm.
Dum non exoreris, totus mihi labitur annus.
An vis Te visam rure vel urbe Tuâ?
Præmisi tabulas, quæ Te salvere jubebunt.
Me nunc sub Cancro fœda moratur hiems.

MAGNIFICO & NOBILISSIMO
DN. WILLICHIO WESTHOVIO
à Westhofen Canon. Lundensi, Com. Palat. Poetæ Cæs. &c.

ANte ter undenos cecidit Westhovius annos:
Sed mihi, cuî Parcæ restituêre virum.
Ipse nepos Vatis patruum nam vivere Vatem
Adstruit, & Dano carmen hiare freto.
O nec ab ore mihi nec Apellis cognite fuco,
Cote sed ingenii, candide Mysta, Tui:
Credo quod exiguis inseruit Bilo libellis,
Quod Phœbi est de Te tota locuta domus.
Nuper enim vidi Tibi texta senilibus annis:
Est viror his, dixi, quem velit ipsa Venus.
At Tua nunc solùm ferit aures fama Batavas,
Et tacet in nostro littore tamta tuba.
Si, mea cùm nôris, subit & fiducia nostrî,
Vt manuum desint pignera, jungo fidem.
Ede: Borussiaco tria mitte exempla Poëtæ.
Nominis in fructu res erit illa Tui.
Ecce Tibi ut fraudi fuerit tacuisse Borussis,
Et totum à Batavâ corte rogâsse decus!
Dicemur populis & nos, ubi porrò colentur
Plectro Dana Tuo sceptra, Polona meo.

SPE-

SPECTAB: AMPLISS: & CONSULTISS:

DN. SIGISMUNDO MEGERISIO

Cos. Elb. Coll. amicisſ.

ÆStivâ vehimur formoſi fluminis undâ.
Lene tremens ripam veſtit utramq; nemus.
Inde ſonant centum, reſonant hinc mille volucres,
O Sigemunde animi pars Megeriſe mei.
Quò Tuus, inquis, abeſt inter Tua tempea vultus?
Quò nemorum numquam non celebratus honor?
Exige rem de Te. Si non ſis pectore firmo,
Et Tibi ſe totam præbeat aura Iovis,
Sintq; unà Medici, junxtàq; Epidaurius anguis:
Quorſum ea, ſi gemitus non poſuêre Tuos?

Elbinga in glebâ.

IN GLEBA ſi quis me non quæſiverit, errat.
Scilicet in glebâ regnat Apollo meus.
Druſius in glebâ cecinit ſua carmina Vates:
Druſidos à glebâ, quo ſibi vivat, habet.

In Contium.

EPiſtolam purè Latinam Contius
Et integre vernaculam nullam exarat.
Latina miſcet patriis. Sic in foro,
Sic liberis loquitur domi. Bilinguis eſt.

De Corbulone.

EXul oberrabat doctâ ſubmotus arenâ
Corbulo ſeptenâ dictus ab arte ſophos.
Pallia ſordebant, & diſcors cento fluebat,
Ægriùs arctabant vincula rupta pedem.

Detritis

Detritis globulis claudebat fibula vestem,
Unica, laxati certa lacuna sinûs.
Pileolus lacerâ cingebat margine crinem,
Pertusus solem nec prohibebat apex.
Divitis hoc habitu sutoris limen adibat:
Et misero raudum cerdo daturus erat.
Sed priùs intuitus cinctu potiora loquentem,
Cùm vel barba gravem diceret esse virum;
Quà, rogat, es patria? rogat actæ munia vitæ,
Et si quid decoris gesserit, unde miser?
Ille sed: E magni natus sum gente Cleandri
Tubantus: nuper ludimagister eram.
Lustra duo nunc sunt, cùm septem missus in artes
Egregii famam nominis inde tuli.
Miratus cerdo, cùm tot Tibi vivere possis
Præsidiis, nostram quid petis, inquit, opem?
Unius compos, qualis Tibi sordeat, artis
Hac ipsâ foveo meq; genusq; meum.

Scylla Nisi.

AH quis virginibus, quis stulto credat amori?
Amisit, si quæ prurit amore, fidem.
Nil illæ sanctum, nihil inviolabile credunt.
Prodidit incautum Scylla puella patrem.
Hæc patrem, & tamtùm potuit peccare videndo.
Quid facient aliis? quid, si inolevit amor?

In Tuppiam.

TUppia culta sat es: nec talem filia mundum
Aut conjux Vigili summa tenentis habet.
Flammea sunt & gemma nitens & hiantina vestis:
Aureus est limbus, nec sine Sere pedes.

Tuppia déest unum. Vigil I Tu filia non es:
Nec Vigil I conjux, Tuppia, sed figuli.

Ad Comites,

De Cellis in saltibus Elbingensium sic dictâ valle.

VEnimus ad Cellas sed vino & lacte carentes.
Et nullâ irrigua est aspera vallis aquâ.
Ad Silices (sunt hæc vicino nomina pago)
Tendite. Nam vitam quo toleremus, habet.
Quid sequimur voces neglecto pondere rerum?
Dant nobis Silices ubera: Cella nihil.

Sapiens nemini invidet.

EXuit invidiam cœlo vicinus & astris.
Lucent & pravis astra jubente Deo.

Hortus Treschenbergianus.

INsula, quà veteres placidis Elbinga sub Euris
Extendit Fabros, ac circùm floridus Ennæ
Campus, & Alcinoi subter pomœria regnum,
Tamtarum quamvis hospes compendia rerum
Videris, excelsæ ponunt fastidia menti
Caussarum patriæ cumulo contracta foriq;
Heic florum suspensa thoris atq; arbore rari
Corticis & pomi, Paphios heic inter odores
Naturâ cultuq; loci renovantibus auras.
Talibus in meritis quid non præsumit amœnæ
Ostentator aquæ duplici fons utilis haustro,
Et Solem in siccis compescere pronus arenis!
O sanctæ mentes, quarum indulgentia nullo

Fracta malo ingenii fomenta resumsit ab hortis!
Pertinet ad dominum, nostris committere nomen
Versibus. Ille meâ se Treschenbergius urbe
Consulibus mistus sed præstantissimus infert.

De Claudiâ.

IAm quintùm graviter decumbit Claudia sumtis
Nequitiam & fastum depositura sacris.
Increpat & stolidæ mater delicta juventæ,
Inq; novas revocat pristina vota preces.
Nulla nec antè fides, neq; jam mihi Claudia facta est.
Quid superi credent? ô bene nota diis!

De Sole.

INvenit maculas in Sole recentior ætas.
Nunc falsum est, illo purius esse nihil.

De Titthâ.

COrpore Tittha brevi est, crus est exile, recadens
Venter, & arentes corneolæq; nates.
Sunt mammæ ingentes. Si vellet Tittha recondi,
Posset in uberibus tota latere suis.

De Marfirâ.

MArfira de mensâ surrexerat: addita caussa est,
Vrgeri patriæ re graviore domûs.
Res suspecta fuit: speculatum Gellia misit,
Et conflictata est Marfira pulicibus.

Tulipa floreti Hoppiani.

TVlipa de centum millena videnda fenestris,
Flosculequem patrii Consulis hortus alit.

Quo mihi jam tardo facilis succurrit Apollo,
In nemus ut longas amputet ipse vias,
Non ego vel molli feriam Te pollice. Si Te
Non quærunt nares, intemerata vige.

In Daliam.

DAlia nobilibus cùm nata parentibus esset,
Et gereret prægnans quod Rhea gessit onus;
Noluit inspectum missis de plebe patere.
Depositus sellâ est, cuí modò nupta viro est.

Agri.

INsacros animor per vos juga florida versus,
Lanigeras tondet quà Melibœus oves.
Quâ matutinas cogit tuba bucera vaccas,
Et dominæ fastum tristis avena canit.
Occupet urbanas concentus doctior aures:
Est aliquid gratæ simplicitatis agris.

Tinopodes.

IBam ad Tinopodas Druso vicina colentes,
Vidit arundineas gens mea nana domos.
Nomineq́ue audito, pater ah quò ducimur ajunt?
Μοῦνος γὰρ τείνει δεινὰ πόδας θάνατος.
Ingressis sapidi sunt missa coagula lactis.
Mors pueris res est conciliata meis.

Eleemosynæ.

VElle satis non est cœlum superare precando.
Orate: hoc superest: pauperibusq́ue date.

Navi-

Navigatio.

INvehimur ponto: sunt venti à puppe secundi.
Tendite vos nautæ carbasa: nota via est.
Æquoreos citra stabunt retinacula Danos,
Vrbs quà Varniacâ nobilitata Pharo est.
Intrandum est portus his adspirantibus auris,
Altera si cœlo cœperit ire dies.

Fanatici.

ESte procul nobis sectaria turba docentum,
Astra suo soli tota patere gregi.
Nulli extra hanc cortem: quibus omnis Celta, Britannus,
Thuscus, Iber, Indus, Maurus, Arabsq; perit.
Nempe sub angustum tot gentes ire barathrum,
Fas erit, ut vobis serviat omne chaos.
In vestrâ si sacra manu sunt integra, per vos
Debuerant omnes Orbis adire sinus.
Non ita inhærendum est exili cespite, non sic
Ducenda in sumto noxq; diesq; mero.
Ipse suos cives à vobis exigit æther.
Implenda est cœli vasta patensq; domus.
Vultus inest vobis: quem si tamen exigo mecum,
Quàm pia quàm sitis sobria turba, docet.
Triste nefas Oriens insanâ lege tuetur.
Contulerim vobis, plus pietatis habet.

Famulæ.

DE famulis dixi: quas non discriminat aut pes
Tersior à dominis aut caput urbe meâ.
Vestitum dominæ famularum æquavit amictus.
Non aliâ morem conditione gerunt.

Discrimen tamen est: quoties ad templa vocantur
Cùm lucis medium est, Organa clausa tacent.

Scala.

SIquis in hoc populo rerum fastigia quærit
Scandere, de nostro limine poscat opem.
Scala mihi tamta est (stolidi fecére ministri)
Possit ut hac quodvis culmen adire puer.

In Ponticum.

VIcerit ingenio securos Belga Borussos,
Nullius opprobrio est. Rem sua caussa juvat.
Sollicitant altum peregrinaq; littora quærunt,
Patria dum cives non satis una capit.
Sed Tibi Mennoniæ quid erat cum furfure turbæ?
Quâ Tibi persvasit sordida secta fide?
Et qui fronte pilum nec tamtùm fronte gerebat
Nullum, sed toto vertice calvus erat?
Vir, cui suspecto rutilabat barba capillo,
Quiq; Tuæ gentis cesserat antè foro?
Pontice, crede mihi, si Tu deceptus ab illo es,
Vnius arbitrio Te periisse Tuo.

Curruca.

RIdeor à populo fallacis aperta cuculi
Fraudibus, & nati dicor alumna nothi.
Accipe, cûi meritum dat vana cucurbita nomen,
Sæpe Tibi natum non genus esse Tuum.
Omnia ne videas latâ Tibi pileus orâ
Mittitur. Exiguæ est & leve crimen avis.

Pugna

Pugna incruenta.

IN dubiam evasit gemini contentio pugnam
Militis: instabant hic eques, ille pedes.
Dux erat hic turmæ, sed dux erat ille cohortis.
Nec movet alter equo, nec movet alter humo.
Imparitas manifesta fuit discrimen in armis.
Hinc sclopus, ast illinc fulgidus ensis erat.
Nequicquam perstant dum non æquantur in uno.
Quæritis ut fuerit pugna diremta? joco.
Venit ab irrisis spectator plurimus ad me.
Scripsimus his pugnam Davidis & Fabii.

De Giscone.

GIsco mihi leporem cum lumbo misit aprugno;
Cùm me nec leporis nec juvet esus apri.
Officium laudo. Debet mihi grande talentum.
Solvit; nempe quoad Gisco potest facere.

De Excellent. Dn. Daniele Visnero Archiatr. Reip. Elbing. Ad Clariss & Doctiss: Dn. Michaelem Myl um Gymnas. Elb. Rector.

QVamti Visnero veteri fiamus amico,
Versibus à nostris accipe, docte Myli.
Non aliter meruit res hæc nisi carmine dici:
Quam canerent Naso Minciadesq; Maro.
Assato pingui Laurinius ansere cœnam
Struxerat: & noster rite vocatus erat.
Me penes interea est: & dum mea carmina volvit,
Convivatoris verna vocator adest.
Ille sed: à cycnis non ibimus anseris ergo.
Cœnabat mecum suaviter absq; coco.

Ad Sextilianum.

Esse Lycanthropot quie, Sextiliane, repugnas;
Inter matronas si Tibi visa lupa est?

De Appio.

Offenderat Novatus Appium. Appius
Quicquid Novatus improbè commiserit
Illi exprobat. Petræus Appium rogat,
Vt hæc amoris Christiani pallio
Obvelet. Huic sed biliosus Appius,
Vetus est, ait, lacerumque, hiansque pallium,
Quo nullius scelera neque minimum nefas
Tam perspicaci tegere nôrim seculo.

De Gotolibâ filiâ.

Fraga meis inerant affuso nectare mensis.
Astabat nostræ terna propago domûs.
Tunc ego: quis docuit? quem vos docuisse putatis
In dulci fragum molle natare mero?
Hæsit uterque puer: Gotoliba sed ultima reddit:
Hunc ego doctorem credo fuisse gulam.

Ad Conjugem.

Vivemus, mea sors: cœlo nos fama locavit.
Vivere ab ingenio Tu quoque disce meo.
Præsidium ex aliis animi sibi quærat egestas.
Præmia qui nescit nostra, sequatur opes.
Has gener infidus consumet & ignis & unda.
Æternum est, conjux, quod mihi Musa dedit.

In

In Cascam.

CÆsare sublato Brutum si Tullius ornat,
Nil reor in laudes, Casca, valere Tuas.
Nam quamtum Patriæ debebat Brutus amori,
Tamtum non de Te Iulius est meritus.

Ad Iustum.

MAmertem Stygiis dum, Iuste, reducis ab umbris,
Crede mihi, ludos hac novitate facis.
Squallidus est thorax, sordet rubigine telum:
Incomtis adstat luridus ipse comis.
Adspice, ut indomitum Mars noster rideat Oscum.
I Tu, Mamertem Iuste reconde Tuum.

Canes.

MIttite funereum pecus improba colla latrantum,
Vos Vrbis genii totaq; turba meæ.
Quò grex immensus? sumus intra mœnia, fossas:
Et clausas obeunt arma vigilq; fores.
Vt fœtent imi rapido sub Sole penates,
Cùm spirant pasti non bona thura canes!
Cùm vitiat teter stacten & cinnama flatus,
Et cortex Indâ de nuce nullus olet.
Accedo notos sed non auditus amicos,
Latratu vòces impediente meas.
Pluribus indignor me flectere sedibus, infrà
Quòd cubet & suprà gens scabiosa canum.
Mittite carnificum subigendos fuste molossos:
Si quid inest lætæ stirpis, alatur agro.
Est regio, in quâ hominum vix totos cogo ducentos,
Bis centum numero sexq; decemq; canes.

Pauper homo prope me curto sub fornice, solus
Cui cophinus censum spondaq; rupta facit,
Par alit ex Hecubæ baubante propagine. Caussam
Sciscitor: ex illo sum grege, dixit, herus.
Altera de geminis bis septem enixa catellos
Promotis spatium vindicat omne thoris.
Se tenui fulcro nutritius ipse coërcet.
Cum canibus dominum vix capit una domus.
Nec furor in parte est, sed culpæ accessit eidem
Orbis Agenoriæ, quà patet illè, nurûs.
Latratur Rhodano: Geticis latratur in arvis:
Et quo se Melite de cane jactet, habet.
Quàm vereor, postquam de limine hylactoras egi,
Ne latret nostros ipsa Diana Lares!

De Crappio.

DVm sua picturis cœnacula Crappius ornat,
Concidit ex alto tota repente domus.
Interiit pictor, trahit æger crura minister.
Crappius evasit: nam stetit ante fores.
Quid Tibi cum Trojâ, Crappi, Priamoq; cadente?
Troja fuit tectis exitiosa Tuis.

In Fabianum.

UTiliter nulli Fabianus miscuit herbas.
Quinq; senes unâ sustulit hebdomade.
Præbuit & pueris medicata liquamina denis.
Ad manes ibunt. Et tamen est Medicus.

In Ollum.

PArciùs, Olle, tona: nec protenus exere fulmen.
In mores ratio non cadit illa Tuos.

Dispen-

Dispenses Superûm quàmvis mysteria, frustra est.
Vt creber jacias, irrita tela cadunt.
Quid flectas populum, cùm potor & aleo sis Tu;
Cùm Tua, quod Thais gesserat, uxor agat?
Olle, Tuam compesce sitim, depone fritillum:
Vxoris luxum comprime, claude fores.
Gesseris hoc pectus, quod ab auditore requiris:
Et fronti & linguæ feceris inde fidem.
Vulgares animi spernunt præcepta docentum,
Si monitis abiit, qui docet, ipse suis.

Propempticon ad Stren. Erdm. Tircium Trib. mil. & Regin. Floram conj. ejusd. cognatam suam.

ITe sub occiduum nova quærere præmia Solem,
Quà poscunt animos Martia signa mares.
Omni composito terrarum hac parte tumultu,
Externo vestrum est arma sub Orbe sequi.
Seu vos ornet Iber seu pinguis Gallia ditet;
Ad vestras cunas flectite, ad ossa patrum.

In Iunonem.

DIanam Iuno, quòd parturientibus adsit,
Dicitur innumeris exagitasse modis.
Venatu indulget, cùm sæpe quod inguine captæ
Exsciderat damæ, dama novellus erat.
Sæpe laboranti casu fuit obvia cervæ,
Et posuit nervos & miserata feram est.
Incautam misit nemus obstetricis in artes,
Fœmineos tetigit cùm dea virgo locos.
Iuno, quid invideas? fatuus pudor urbibus insit:
Cynthia rus habitat, & genus omne juvat.

At Tu quid facibus thalamum genialibus ornas;
Per Te si nuptæ non peperêre nurus?

Ad Musas.

NOn perii vobis: mecum sperate Camœnæ.
Sæviat in corpus febris acuta meum.
Excitet & gemino nephritis rene dolorem,
Et quærat miseras cruda saburra vias.
Sitq; recens aliud, quod viscera nostra flagellat,
Penè quod in noxâ non reor esse senex.
Corporis afflicti didici contemnere morbos,
Si sua vis animo est integritasq; meo.
Dotibus ingenii mea præmia metior & me.
Non perii vobis, hæc mihi donec erunt.

In Mulieres.

ITe bonæ matres, procul hoc abscedite lecto,
Auribus in morbo turba molesta meis.
Cur mihi de vestris perduntur tempora rebus?
Quid mihi cum vestrâ, quam posuistis, acu?
Ad me quid Prisci conjux insana, vel Anthes,
Quæ sexto enixa est mense, puerperium?
Nulla mihi in vestris quæruntur gaudia nugis:
Sæpe cor affligit garrula lingua meum.
Sunt quibus afficior vobis absentibus ultro.
Vos illud studium, vos latet ista quies.
Et penso & flagro famularum urgete labores:
Ac prope maternam stet sua tela colum.
Una satis manus est, medicas quæ porrigat herbas,
Seu thalamis, patriâ seu mihi juncta domo.

MAGNI-

MAGNIFICO & NOBILISSIMO BURGGRABIO REGIO,

DN. CHRISTIANO TRESCHENBERGIO, ProCos. Elb.

OPtime Burggrabi, cui tamta hæc munia primum
Febribus exhausti gratatur Musa ZamelI,
Tune meo à morbo laxatas piscibus undas,
Et jacula & fundas, quoniam rectore carerent
Æquora, nequicquam patrii subiisse profundum
Littoris, in vero ponis discrimine? sic est.
Structores sensêre mei: cùm grandia cete
Frangeret assultans nuper ventosus Elias,
Squamigeri ut vidit populi languere magistrum;
Deërit, ait, nostræ messis fœcunda culinæ.
Mentiri solitus non hæc tamen irrita dixit.
Portantur ciculi nostris neglecta ministris
Præda: nec absq; probro titulum gestamus aquarum,
Iamq; per æquoreos positâ formidine tractus
Elusis salmo & cyprinus retibus errant.
Sæpe tomus Gothici mihi sistit orexin aselli,
Sæp. Caledoniis oneratur mensa platessis,
Aut olidæ fruimur mucosâ halece tabernæ.
Optime Burggrabi, cui quod meruisse decorum
Contigit, exuti sunt hæc post tædia morbi,
Sic quoniam invitas, nostri primordia versûs
Amoti silvis & amico fonte Poëtæ.

Navigatio febri remissâ.

NAvigo bis calidis damnatas febribus undas.
Ossibus hos ignes dI prohibete meis!
Ne noceant auris placidi melioribus amnes,
Neu remoretur iter Drusia pigra palus.

Namq; ita arundineo vestitur cespite Drusus,
In cannis lateat totus ut ipse suis.

EPITHALAMION EXCELL: & AMPLISS: DN. SIMONIS DACHII Poëseos Prof. P. in Acad. Regiomontanâ ac p. t. Facult. Phil. Decani.

CErtum est Aonii posthac temeraria Regni
Stemmata cum fatuis animo dimittere cycnis:
Quos nemo patrium melicè feriisse Caystrum
Novit, & arguto Parcas absolvere cantu.
Conscia mansuræ præscribam symbola famæ.
Ergò & quæ nostram substringunt præmia frontem
Ipse verecundas deponam vertice laurus
Æquior, & castis referam sua germina silvis.
Qui primus potuit de stirpe avellere ramum
Vt caput ornaret, quàmvis invenerit artem
Carminis, in falso neglexit honore pudorem
Aut titulo aut habitu non pugnaturus Amori.
Auctorem sequimur. Quid cultu profuit illo,
Quo minimæ plebis meruêre cavilla Poëtæ
Mentiti non frunde suâ? Profecimus omnes,
Quotquot Acidalio colimus sub fœdere Musas.
Dic mihi, qui parvæ superaverit ardua Cyrrhæ
Absq; deâ, quæ Cypron habet? Mihi quarta reluxit
Tæda rogis accensa tribus. Charitillida nostram,
Et non sopitas alto sub pectore curas,
Etsi terra tegat, prope lenti stagna Druisci
Ac Nogadi ripas cecini vulgator amorum
Plectro, quod Cytheréa dabat. Risêre Napææ
Tam firmi nova vota senis. Vos cœtera testor,

Vos

Vos Aganippæis os irrorantia limfis
Nomina. Si vultum caperati fingitis, edam:
Qui vobis regnârit amor, quæ torserit Ægle,
Quid fuerit tam dura Hyale? Da Cypria, myrtos,
Alma, Tuas: Veneris myrto formosior ibo.
Nec meus â Poliâ conceptum Dachius æstum
Dissimulare potest, de se non posse negari
Non dubius, nobis nostrisq; ostensus ephebis.
Prægorides Nymfæ, quarum cecinit hymenæos
Ipse suas alio vegetans sub amore favillas,
Sic Veneri supplex seq; ingeniosior ipso
Tot Vatumq; choro, quoties in imagine vestrâ
Sectatus Polian speratos arsit amores!
Si quid amas laurus, si quid juvat ardua Daphne,
Cuî numquam ætherios jaculatur Iupiter ignes,
Par Phœbi calamis nuptæq; recentis amori,
O decus ô nostrum Dachi; Tua sustinet ætas,
Et jam caussa potens Paphias abeuntis ad aras
Semideûm comitante manu geniisq; locorum,
Ire triumfali succinctum timpora lauru:
Dum Tibi bella parat nulli damnata Poëtæ,
Et certam spondet genitrix Aphrodisia palmam,
Tuq; ut specteris, faciunt promissa Dionæ.
Ne tamen abnueris actâ Cythereïa pompâ
Conjugis ante thorum Clariis præponere sertis,
Aut multâ miscere Tuam Peneida myrto.
Crede mihi Dachi (toties repetamus oportet)
A Venere est, nostris si versibus ulla venustas.
Quid mihi permisi! florentes attinet annos.
Me senium traducit iners torpente Camœnâ
Indecorem Phœbo: nec cultor idoneus horti

Occupor Idalii. Tu cùm Tua gaudia doctis
REGINAM nugis adsperseris, ingere pleno
Oscula cum morsu: seu Te prior illa lacessat,
Ac Tibi Pæstanas non invitata corollas
Nectat, in amplexu jucundior omnia sumes.
Tu Cypriæ volucres cum passere mitte Catulli
In Poliæ gremium: Tu Naica dona sub ipsis
Vallibus explora: Tu felix esse Poëta
Incipe sub myrtis nec dum fugiente juventâ.
Sunt aliqui casus, quibus est obnoxius æther,
Qui rerum posuêre modum: succumbimus illis
Nos quoq;. Ne speres horum transcendere fines.
Attamen ut vobis superet mora tardior, opto.

Asinus gemmeus in mensâ Bodii.

GEmmeus in mensâ Bodii cùm staret asellus
Conando Bodius distichon orsus ita est:
Id quod in hac mensâ est. Sed digno claude, Zameli,
Pentametro. Dixi: gemmeus est asinus.
Tum Bodius: malè vox commissa trisyllaba fini.
Caussa data est: Asinus tres habet iste pedes.

Sestos & Abydus.

SEston Abydeno si quis de littore quærit:
Rectus erit trames, quem sibi fecit amor.

Orbis terrestris.

SIccine terrestrem verubus suffigitis Orbem,
Vt ceu mactatæ coxa rotetur ovis?
Vt Sole & pluviis ceu liquescente butyro
Se saturet cœli jussus obire vias?
Ergò fatigatum damnavit inertia cœlum,
Et genii sphæras deseruêre suas?

Tardaq;

Tardaq; fert tellus, quòd sponte volubilis æther
Vt conjux numquam ferre negavit onus?
Mittite cum pictis cœlum succinctius astris,
Et quos mille typos vestra papyrus habet.
Perdidit infames autor Memphiticus horas,
Et qui Chaldæum pegma refinxit Arabs.
De nostro res nota foco est, quid sidera tractent.
Versatam assiduò Sol cocus assat humum.

Epitaphium Liddæ.

LIdda sub hoc tumulo est. Vt dicunt unus & alter,
Funereæ ut produnt, à quibus uncta fuit,
Candidior membris nituit quovis alabastro:
Quodq; velint omnes, hoc stetit ore decus.
Sed mores abeant, formosis omnia desunt.
Mutatis sperni cæpit & ipsa procis.

Epicedium Staphyles

CLausa est hoc Staphyle quadragenaria saxo.
Quàm bene tunc, fronti cùm suus esset honor!
Cùm juvenum lacrumas formosæ busta cierent,
Nec flerent soli, vir, pater, atq; soror!
Iuncta viris tribus est: occultè pluribus hæsit.
Quid possit facies, & Staphyle docuit.

De amore.

QVàm misera res est amor, & ut verbo eloquar
Cum veniâ amantum, amentia ac suspicio,
Et inde tortor! Atq; is ultro arcessitur
Hominum deûmq; pestis ac protervia.

Ad Illustr. Dom. GREGORIUM BORASTUM Can. Varm. Poloniæq; & Sveciæ Reg. Secretar. &c.

ALter hic auspiciis, excelse Boraste, libellus
Ire Tuis jussus jussa secutus adest.
Non dubium est primo junctum potuisse videri
Officium cultûs persoluisse Tui.
Sed negat inprimi pro se requiescere gestu,
Quo par est studio missus & ipse loqui.

Ad Magnificum & Nobiliss. Burggrabium Reg. Dom. CHRISTIANUM TRESCHENBERGIUM PræCos. Elbing.

SCis quid agam, Consul, caput ô venerabile Nimfis,
Quæ civem & Vatem me voluêre suum?
Piscinas meditor: cyprinis ducere ternas
Admoneor: suboli est una retersa novæ,
Cùm fœti fuerint, lucios admittet alendos
Altera. De nimio semine pastus erit.
Egregius mecum quoties conviva recumbet,
Pingue genus prædæ tertia fossa dabit.
Non ea risisset Romanus commoda Varro,
Nec solam in salsâ spem posuisset aquâ,
Fundorum dulces si quà penetrasset in undas.
Non habet omnigenas Pontica Doris opes.
Optima de tenui discuntur sæpe libello.
Gloria Dubravii me penes ista Tui est.

Magnifico & Nobiliss. Dn. CHRISTOPHORO SCHULTZIO J. U. D. Consiliario Cæsar. cognato amicissimo.

Ergo juridici Te provexêre labores,
Iamq́ue es Cæsareæ portio magna domûs:
Os Themidos secretò Augustam dictantis ad aurem,
Romulei formam scitaq́ue prisca fori:
Tum quid Cæsaribus placuisset jure novello,
Et cùm Teutonicæ res ditionis erat.
O meritus de me sanguis meus, ipsane mactet
Integriùs, Schultzi, Te Themis atq́ue Fides?
Fugisti in Patriæ gremio mediocris haberi.
Consilii ratio nunc stat aperta Tui.
Cùm Tibi coccineas daret alta Vienna tiaras,
Vidit quâ posses arte juvare deos.

Spectabili & Consultiss. DN. MATTHIÆ RICHTERO Reip. Elbing. Syndico.

Centum annos vixit dein quinquaginta duosq́ue
Ille Caledonius, quem dat imago, senex.
Pugnas, Matthia? quo judice neminis ævum
Centum hodie attingit, falsaq́ue fama rei est.
Pulle sacer Themidos, testes ne sperne tot urbes,
Cui præstant aliàs bina vel ora fidem.

De Aldo.

Virtuti locus est: Aldo sua præmia deêrant.
Ergo alter posuit quos Aldus haberet honores.
Quàm bene firmasti virtutum robore munus
Alde Tuum! jam Tu liquidò spectaberis ex Te.

Villa.
Clariss. ac Consult. viri Dn. MICHAELIS MEGERISI Patritii Elbing.

Vos Ælvæoniæ cultores alloquor oræ.
Quod loquor ad vestræ pertinet urbis agros.
Ardua seu latè stagnantis prædia Drusi,
Seu juga piscosi celsa tenetis Habi.
Tota mihi ditio, quà se genitalia pandunt
Arva, placet: quaquà nam pede pressa meo est.
Omnia cantavi, lucos & littora dixi.
Asseruit laudes vox peregrina meas.
Nunc quam prætulerim, certum est mihi promere, villam.
Maxima Lenzani gloria ruris erat.
At procul urbe meâ est: præstat compendia rerum
In Roberino qui locus extat agro.
Respicit Elbingum cum prono Hyperione flumen:
Objicit æquoreas frigidus axis aquas.
Drusus alit piscem: sed pisci cedit Havano.
Iudice me gleba est par utriusq; soli.
At vitæ ratio, juxtàq; salubrior aër,
Et liquidi fontes sceptra tuentur Habi.
Sæpe ego Felicis regnum senioris adivi,
Nexa Roberinis limite rura jugis.
Illò me cari lepor invitabat amici.
Sæpe cibum sumsi quà subit ille lacus.
Vidi in securo Neptuni munia Baccho,
Penèq; sub mensâ tendere vela Natos.
Mille gradus aberat: sed erat distantis imago,
Qualis in accubitus se penetrantis aquæ.
Nautarum voces è rupe notare videbar,
Et pronâ mali tangere summa manu.

Hæc Roberini majoraq; commoda fundi
Atollunt gemino conscia rura polo.
Est decus in tumidis & amicum collibus uber.
Non æquè in campos Lenzis amœna patet.
Quid moror? in totâ non est regione quod æquem.
Hunc sola hæc titulum pascua villa gerit.
Sufficit in segetes dominiq; alimenta gregisq;.
Asseruêre suam pinguia culta deam.
Iam venit è lacubus, jam rivo prœda recenti:
Iam piscinarum funda recludit opes.
Collibus è summis Gedanæas transvolat arces,
Cui satis hoc oculis ut sibi tendat iter.
Quid memorem patrios ornantia culmina fines:
Qualia nectareo munere Chloris obit?
Barbara vos stupeo priscisq; ignota Latinis
Nomina, Pervanis lilia rapta thoris.
Discolor in varias emergit Tulipa formas,
Et quæ cultori notior herba suo.
Sive illam Cuscus seu Mexica miserit Anthe,
Seu de Iavano littore germen hiet.
Sunt Paphii flores vegeti plantaria Pæsti,
Quasq; Venus silvas & puer intret Amor.
Sit locus & nobis, has cùm quæsiveris umbras,
Cùm tenero franges pollice, diva, rosas.
Ecce Tuas myrtos inter mea serta recepi:
Quæ Phœbi Vates Aonidumq; gero.
Crescite vos lauri: nemus est & Apolline dignum:
Amplaq; ficulnâ stirpe virescat humus.
Quid Tibi cum castis, fallax Lenæe, Poëtis?
Numquid ut in versu sint Tua dona meo?

Sume

Sume priùs vires. Poſtquam ſuperaveris antes,
Ex uſurpato gloria certa botro eſt.
Tum mihi Te jacta: tunc frontem innecte racemis,
Vdaq; fraganti ſint Tua labra mero.
Vtcumq; abfueris, honor eſt Cerealibus undis:
Quas ſine fece probi cella recondit heri.
Sit venia oranti: longos, precor, ille culullos
Arceat, & cyatho de leviore bibam.
Sæpe latens illis cecini mea carmina ſilvis:
Et ſitis à tenui fonte levata mea eſt.
Ad magnum poteras (ſic vos dicetis) amicum.
Vt poteram, hoc cœptum perdere carmen erat.
Diſcite, quàm nemorum res noſtra juvetur ab umbris:
Murmura quid præſtent leneſonantis aquæ.
Quos celebrem fundos, ut poſtera noverit ætas;
Hæc Michaël, ruris laus, Megeriſe, Tui eſt.

Orphei Gratiarum ſuffimen;

Κλῦτέ μοι ὦ χάριτες μεγαλώνυμοι.

Audite, ô Charites meritæ prælustria rerum,
Progenies veneranda Iovis, gremioq; decoræ
Eunomies, vos Agläie formoſa Thaliaq;
Euphroſyneq;, decus ternum ternæq; parentes
Lætitiæ, quibus hæret amor, ſed caſta cupido eſt,
Non eadem facies verùm æternante juventâ
Humano generi facies gratiſſima, mille
Aſſertæ votis, redeuntes ſemper in orbem
Pernici gyro ſocias imitante choréas.
Tinctæq; ora roſis, jucundæq; illice vultu.
Vos Vati, ut ſemper, faciles eſtote precanti,

In

In Marcellum.

Marcellus barbam primâ sib vellit in herbâ.
Imberbem puerum vidit Acidaliæ.

De Euryalo.

Sæpe rudes venor concessa per otia gemmas:
Sæpe mihi in tumulis, sæpe leguntur aquis.
Iactabat Lygius rutilis loca fœta pyropis.
Quin, ait, ad tantas me duce tendis opes.
Duxit ad Euryalum Minoia vina bibentem.
Vera loquar: facies tota pyropus erat.
At puer (& puerum permiserat ire rogantem)
Vltimus è natis spesq́ʒ suprema meis.
Prodimur, & monstris, genitor, committimur, inquit:
Ah perii, ad Manes hæc nisi larva redit!
Sæviit Euryalus, sed non excanduit illo
Scommate: flagrabat totus & ignis erat.

In Eugeniam.

Formosa Eugenia es, sed impudica.
O posses ita comparare mores
Erga Chrysagoram Tuum maritum,
Nec fœdum senio, nec inficetum,
Vt festiva gregi latenter ad Te
Ventantum juvenem es! quod inter umbras
Tam claris oculis videmus omnes,
Occaso quoties crepusculascit
Phœbo, ut jam pueri sciant novusq́ʒ
Nostræ Carpio balneator urbis;
De Te judicium viri ampliares,
Et porrò usq́ʒ loquacula ampliares.

Nunc

Nunc cùm tam manifesta sis marito,
Quàm pridem fueras acerba eidem;
Nocturnus vigilat Tui suiq́;
Arrectoribus arbitrisq́; cunni
Obtrusis sibi clamq́; puniendis.
Nec cauta Eugenia es, nec erudita.
Non sic Mulciberem Venus fefellit:
Non tam Pasiphäe furenter egit.
Quotquot sunt aliæ Tui instituti
Dum lædunt faciles volunt videri.
O nosses Agathæ sororis artes!

Excellent. ac Clariss. viro Dn. GERARDO COERDES J. U. D. ac P. L. Consistorii Pomesaniensis Officiali.

QVid Tu Carminifex Elbingam sæpius intras,
Nec mea Versificis tecta, Gerarde, subis?
Sive rigor fuerit, seu dixeris esse pudorem;
Nec Tu Caucasus es, sed neq́; Penelope.
Muta animum. Laribusq́; boni succede Zamell I:
Qui prior est ausus limen adire Tuum.

Olla fictilis.

QVæ venit Isluleas Elbingam vecta per undas,
Eligitur nostro fictilis olla foco.
Quicquid habet tenerum est & parvo in pondere firmum.
Crassior est urbis testa meæ, sed hiat.

In mulieres.

EVropæ atq́; Asiæ concivit fœmina clades.
Humanum mulier perdidit una genus.

Quid

Quid possint omnes, hæc saltem exempla profantur.
De Te nil Tanaquil, aut Cleopatra loquor.

Ad Piscatores.

BIs sex convivas, halieutica turba, vocavi.
Retibus immensum sollicitate lacum.
Et jacula & tragulas & inanes mittite nassas.
Cassibus heic opus est, res ubi lauta juvat.
Primores venient, & magni nominis umbræ:
Nec deerit furum portio, serva manus.

Saufeia.

AVsonias postquam Saufeia venit in urbes;
Non nemo est Italus, qui bibat ante sitim.

De Cynthiâ.

CYnthia Doctoris Marcelli filia jactat
Se meliore suis civibus esse satam.
Doctor inops illam, locuples simul institor ambit.
Vivere Cynthia vult cum locuplete viro.
Conjugis & patris hoc discrimen Cynthia fecit,
Pro penore esse virum, pro genere esse patrem.

Nobilissimo spectatissimoq; Domino IANO SCLOCUMBIO, Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis Commissario &c. amico integerr. secundùm sponso.

SClocumbi, sine quo fuisset inter
Armorum strepitus, Britanna nostris
Res ingloria concidisset oris,
Tu qui Ælvæoniæ supremus urbis
Hospes, nec minùs ipse primus audis,

Doctus Brito Tuos juvare Reges,
Doctus Brito meos juvare Prussos,
Men' Sponso dubites Tibi secundûm
Aut isthunc populum secunda velle?
Applaudit Tibi Drusus & Nogedus,
Ac si qui subeunt & hunc & illum
Fontes, amniculi, levesq; rivi:
Nec Te tam Tamesis colit paternus;
Quàm vel noster Habus, vel arva divæ
Nostratis Pogiæ Tibi obligata
Magno munere, turrium corusco
Pridem marmore, nunc & insolenti
Phæacum nemorum superba cultu.
Si nescis Patriæ optimas vocari
In nobis, titulo Britannus hospes,
At tamquam Patriæ optimas amaris
A nobis, pariter Tibi apprecatis,
Quod Te par meritis tot est apisci.

Ad Ponticum.

NVgæ, si genitum credis me patre Poëtâ,
Imbutus studiis non erat ille meis.
Omnibus ignotas tracto majoribus artes.
Nil facit ad nostros Troius Hector avos:
Milite qui sacro rigidos turbante Borussos
Exosi patrios iliceosq; deos,
Accessere novis armorum gloria signis.
Annales populi testor & acta mei.
Dum licuit dum bella forent, coluêre Gradivum.
De parti suboles ubere vixit agri.

Drusida

Drusida vicinam Proniis descendit ab arvis,
E patribus vegeto pectore, nata coli.
Exit & hic vero, qui per compendia rerum
Credit in Aonias me penetrasse domos.
Est aliquid quod prona dedit natura Poëtis.
At mihi non unus, Pontice, doctor erat.
Vera tibi fabor: didici de Manibus ipsis
Hoc numero pernox umbra Maronis erat.
Quem circa exiles animæ pars cætera Vatum.
At mihi conanti non satis illud erat.
Ad vos accessi, titulum qui traditis & rem,
Hellada qui calamo conditis & Latium.
Quod potuit nostros in fine juvare labores,
Si qua fides aliis Vatibus, usus erat.

Borussi.

GEns Scythicis egressa jugis venêre Borussi
Culturi Istuleis proxima rura vadis.
Hac hominum sum stirpe satus: mos barbarus hæsit
Patribus, obstipus perpetuusq; rigor.
Adducti numquam sectari castra Minervæ
Seu Martem rigidum, seu coluêre solum,
Permisêre mihi primo mea vota parentes;
Et cùm nescirent esse, Poëta fui.
Res erat ingenii: nec deërat cura magistri,
Sed levis: Exiguo constitit iste labor.
Et modicus pater est hæc de me sæpe locutus:
Nescio quid tamtum nostra perosus amet.
Totum posthabui primis conatibus Hermum,
Nil ultra Clarias quærere certus aquas.
Majorum asperitas animi est mollita per artes:
Deniq; in exemplo est & valuisse moras.

 Sic

Sic neglecta diu potuit sentescere tellus,
Quæ solet ex illo fertilis esse situ.
Seu superi vellent, quia præmia nulla sequebar:
Noster ut ex studiis integer esset honor.
Vt mea si legerent sincerè condita Reges,
Sincerus Regum me tueretur amor.

Præstantiss. & Consultiss. juveni BARTHOLOMÆO MEGERISIO Secretario Reip. Elbing.

SÆpe Tuo calamis ludens gratabar honori.
Nomine sub tecto res latet. Aldus eras.
Bartholomæe Tibi caussam Megerise profabor:
Qualia nunc condo sunt Epigramma breve.
Odi prolixas in tali carmine voces,
Præcipiat rebus ne mora longa locum.
Arbitrio stat deinde Tuo: si nomine mavis
Notior esse Tuo, Bartholomæus eris.
Namq; & Bilbilides non raro Epigrammate dixit:
Dic mihi, quid Romæ Gargiliane facis?

De Bibulo.

PAuper homo est Bibulus quoties venêre Calendæ,
Alphius & primâ luce molestus adest.
Cùm lanii appellant & scriblitaria mater,
Nec numus loculis æreus ullus inest.
Potat, edit lautè: semperq; est splendida vestis.
Nec pauper Bibulus, sed neq; dives homo est.

De Priscâ.

PRisca meos animat virgo pulcherrima cives.
Confer eam Veneri, non erit una Venus.

Fulloni

Fulloni nupsit: sed malo sit ille Maritus,
Quàm sordens lanio sordidiorq́; faber.
Quid non patritium nomen speraverit, ajunt,
Fulloni misero si datur ipsa Venus?

Aristotel. I. Ethic. Nicom. c. IV.

Ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν &c.

CUltor amicitiæ, si Te reverentia Veri
Ulla subit, Verum præfer amicitiæ.

Cyprini.

In mea cyprini veniant convivia: soli
Sed mihi si fiant prandia, malo lupum.
Rara juvent alios: gustu mihi cuncta probantur.
Mecum utut obsonent infima turba fabri.

Typographia.

TOt studiis partam tuearis Græcia famam.
Penè sed hæc sumtu debilitata suo est.
Servavit magnum res non privata Platonem.
In veterum gazis bibliotheca mea est.
De Te quid meriti sint Teutones, exige Tecum.
Dat vitam proavis litera nostra Tuis.

De Cynthiâ.

CYnthia sola domi est: notæ stat cantharus ansæ
Doctus de vitreâ mæchis narrare fenestrâ
Esse sine ancillis dominam, nec adesse maritum.

In Claram.

CLara gerit pronum gibboso corpore ventrem,
Crus solidum femori continuumq́; pedi.

(De

(De naso mittam, licet ille proboscidis instar:
Nec quòd vinosa est, nec quòd obæsa loquar)
Nubit in hac zonâ, quam pridem solverat alter.
De consorte facit, quod fuit ipsa, canem.

De Modio.

Tonsus erat Modius, sed erat breviore capillo,
Cum Petalo & mecum missus ab urbe comes.
Hoc mihi suspectam Petalus dum dicit in aurem,
Nulla fuit Modio nocte silente quies.
Manè rogat quid sit: dum cuncta revolvimus edi.
Ex illo Modium cœpit habere sopor.

Ad Francisc. de l. F. Italum.

Corripui in patriis pulicem*, Francisce, puellis.*
Hinc vitium versu dicis inesse meo.
Sunt pumili pulices *qui nos, Francisce, lacessunt.*
Grandior est punctus pulicis Ausonii.

De Ægle.

Hoc, quod casta solet puella dici,
Ægle desierat videri & esse.
Id cur perdiderit rogata dixit,
Amisisse nihil sed abstulisse.

Aula barbarica.

Horrida barbaries vestrâ me depulit aulâ:
In quâ non satis est, quod sine fece bibi.
Colluvies non cœtus erat: non ordine sessum est,
Et nusquam in totâ vox moderata domo.
Unus erat, qui vos clamando vinceret omnes,
Cuî palmam Stentor Carneadesq; darent.

Tum

Tum quamta in chordis feritas, inq; ære canoro,
Impulsæ horrendùm cùm crepuére fides,
Cumq; aures sonitu geminæ stupuêre tubarum?
Ad Trojam strepitus vix puto tamtus erat.
Integra dI nemorum servate silentia Vati:
Seu si quid sonitûs, à Iove semper eat.

De Anactorio Oenopolâ.

VEndit Anactorius sed mistum flumine vinum.
Tale mihi nuper vendidit ille merum.
I puer, & puras dic nunc mihi mittat ut undas.
Sed quid? se nullas vendere dicit aquas?
Mentitus puer es: sinceras credo negavit
Vendere se limfas, aut sine fonte merum.

Sectæ.

QVid fiet nobis? cœlum promittitis omnes,
Pallia qui geritis longa togasq; pares.
Quisq; sibi assertis. Modicùm dissenserit alter;
Excidit, atq; inter non sua sacra ruit.
Sed vos tercentum sectæ componite litem:
Aut cœlum rapiet nulla, vel una manus.

Pileus.

SIt mihi nec pandæ nec curtæ pileus oræ;
Ambiat & medios spira venusta sinus.
Displicet appendix versusq; ad tergora nodus
Redditus huic semper, quo stetit antè, loco.
Sit similis sibi totus apex utcumq; geratur.
Dictator petasus sit mihi nolo meus.

In quemdam.

CVm Tu sis locuples quàmvis è patre bubulco,
Spem natæ nullam vis superesse proco.
Integer est, & honesta domus, nec egena bonorum.
Rex, quem vis generum, sive bubulcus erit.

Crabrones.

PVngite crabrones, & vester aculeus in me
Sæviat. Hæc vestri sunt gregis arma, minæ.
Obnuptâ facie si vos invasero, quorsum
Ne vos irritem, vocula missa fuit?
Tercentum ex vobis primo discrimine fundam.
Mox cadet armatâ tota caterva manu.

Obæsi.

VIderat in nostrâ tres grandi ventre colonos
Nescio quis litem lite fovere domo.
Vox erat, Hectoreas quæ tenderet aspera fauces,
Qualis sæpe gravis Vatibus esse solet.
Non ego roboribus concurrere talibus optem:
Non, etsi mecum par mihi miles eat.
Planane seu colles habitarent, ille rogabat.
Hos juga, respondi, non genuêre viros.
Adspice monticolas macilenti corporis omnes.
Infima planicies sumen & uber habet.

In Cassonem.

SVrripuit numos uterino Mævia fratri.
Quid fiet, frater si peregrinus erit?
Iam Tecum limare caput scit Mævia, Casso.
Donabis: sed clam Te quoq;, Casso, dabis.

Ariæ

Ariæ Belzero.

Silvarum placidis, Aria, successimus umbris,
Quà Prænestinum frigus & aura deûm.
In res & voces immenso Numine dignas
Excitor: est Superûm Mysta Poëta pius.
Tange fides, Aria: quæ Te fecêre Poëtam,
Castaliæ regnant ista per arva deæ.

Ad Valerium pictorem.

Pinge mihi Venerem: sed qualiter illa, Valeri,
Zeuxidis artifici picta Crotone manu est.
Sit Cordæ facies, sed Gaulidos adde colorem:
Da Croniæ collum, pectus Ameloniæ:
Tertiniæ lumbos clunesq; appone pedemq;.
Si modus hic fuerit, picta erit ipsa Venus.

De Cæliâ.

CÆlia, cùm fuerat clàm sæpe admissus adulter;
Fecit ut hoc tutò vir pateretur agi.
Egit at hoc mœchus, quoniam dare vellet utriq;
Cælia, ne posset clàm nisi adire virum.
Cælia furtivos iterum sectatur amores,
Verbaq; dat mœcho clàm fruitura viro.

De Gilvâ.

FEcerat exequias elato Gilva marito,
Et gelidum sacro corpus humarat agro.
Mors non vera fuit: requiêrant munia vitæ.
Constitit, ut tumulus fortè reclusus erat.
Dixit, ubi invisum vidit superesse maritum:
Res erat Argolico condere more virum.

Ad

Ad Poëtas.

Scilicet, ô Vates, deus est in pectore nostro:
Et res Aoniis nostra nitescit aquis.
O vani! quo nunc ipsi sunt culmine Delfi?
Quo tripodas luco templaq; Phœbus habet?
Speluncam priscus jubeatur adire Coretas;
Quo priùs incaluit, non erit ille vapor.
Bucera florentes decerpunt secula laurus,
Proculcatq; sacros ungula fœda lacus.
Mirator rerum, quas ætas prisca tulisset,
Reptavit nuper toto Helicone Ligur.
Quærebam, numquid Cephiso ex amne bibisset.
Annuit ex illo fonte levasse sitim.
Huc veniunt, inquit, pecudes pecorumq; magistri.
Hæc pastoritio sufficit unda gregi.
Ducebant calamo nostris indigna Poëtis
Carmina: nec sensi Numen adesse mihi.
Ergò ego Calliopen quæram sub Phocidos antris,
Tam facilis patrio quæ mihi rure venit?

In Numerium.

Qvis ille sit, viri rogatis hospites,
Qui tot trientibus culullos depleat
In non suo convivio. Moronniâ est
Hinc non procul civis Numerius nomine.
Qui cùm domi est, vappam bibit semunciâ.

Eluvio.

Obruimur pluviis, Gothicoq; Aquilone ferimur.
Fluminaq; ad fontes acta furenter eunt.

Omnia

Omnia restagnant, fœdaq; palude teguntur.
Deploratq; suas rustica Chloris opes.
Iam matura Ceres armentorumq; fatiscunt
Pabula, & in brumam condita pontus habet.
Cum nostris pecudum scandunt suspiria cœlum.
Et quis non lacrumas cespes & herba gerit!
O vos supplicibus dI tamdem ignoscite nobis.
Idq; fatigati terra polusq; rogant.

De Elisâ.

NVpsit Elisa viro, sed primâ admittere nocte
Noluit: aut pudor hoc, aut modò lusus erat.
Ergò ubi discretis jacuêre cubilibus, unâ
Penè sed in tabulâ, dixit Elisa prior;
Stat mihi cum sponso geniali incumbere lecto;
Nôrit ut, inferior quàm sit amore meo.

Laurus Spartana.

INter odoratas est ornatissima laurus,
Quàm Lacedæmonii pascua ruris alunt.
Pascua in Eurotæ Spartam subeuntia ripis,
Quæ sibi pro muro pectora civis habet.
Pertinet ad solos laurus Parnassia Vates.
Nascitur hæc magnos cingere sola duces.

Ad filium Gotofredum.

PRo cave proq; cave ratio concertat & usus.
Quod prisci caveunt, res hodierna cavet.
Deq; fame notum est: famei dixêre priores.
Pro fame nunc ratio est: rarior usus erit.
An gignat mulier, memini Te quærere. Gignit.
Sunt genitor, genetrix. Fœmina sola parit.

Piscatus.

TVta lacu semper piscatio, tuta mariq́ est;
Si neq́ turbo lacu, si neq́ turbo mari est.
Sed proba vox Plauto non est piscatio, dicis.
Non hæc res Plauto, sed mola nota fuit.

Titulus emtus.

DEscribi in folio sua vult encomia Marcus:
Qui decimo in sexto non habet hoc, quod habet.

Nuptiis Petri & Sabinæ.

MActe novi Vatis deducta Sabina sub ædes.
Res erit in vestrâ semper agenda domo.
Tu paries pupos: conscribet disticha Petrus.
Semper erit quod Tu, quodq́ maritus agat.
De quæstu dubitas? sua vendet carmina Petrus.
Quo Tu, quo pupi, quo vir alatur, erit.

Ad Cordum.

SI fugit Euphrosyne, non spernit Corde sequentem.
Pastorem fugit sic Galatéa suum.
Sæpius audivi, tales voluisse prehendi.
Veriùs ut nôris, quarta prehensa mihi est,
Svaviùs amplexa est, quæ non invita reperta est.
Et doluit, quoties nemo secutor erat.

De Annâ.

DIscite dotatæ, quid fecerit Anna marito:
Ferre virum solâ discite nocte gravem.
Expulit illa virum non admissura priusquam
Sponderet solâ se fore nocte gravem.

Et

Et ne deciperet, subjecta est cautio pacto:
Verùm ita, cùm volet hoc Anna velutq; volet.

De Appiâ & Gelliâ.

GEllia sæpe lavat: raro lavat Appia. Pulcra est
Appia: sed lippit Gellia & ore nigro est.
Illotam vellet seu lotam Paullus ab ipso
Exegi. Illotam, reddidit ille, volo.
Gellia nigra manet: modicâ delebitur undâ,
Appia quod furvi pulverulenta geret.

ICtus.

EST qui de juris captet sibi Corpore famam,
Quiq; Modestinus quod fuit, esse velit.
Qui jactet Caji titulos, monumentaq; Paulli,
Et Plebem & Patres Imperiumq; crepet.
Talibus inciderit: dignè legisse negamus
Hunc, tria qui nescit verba Latina loqui.

De illustri Dno. Greg. Borasto &c.

INter præcipites Te lux mihi candida nimbos
Exere. Languentes irriget imber agros.
Sed meus, ut doceat quamti sibi constet amari
Vatibus ingenuis, ecce Borastus adest.
Archia sic Vates Ciceronem sæpe vocavit,
Et posita est Patriæ parvula mensa Patri.
Semper erit nostris sacer ille Penatibus ortus,
Tuq; coles festum, Calliopéa, diem.
Fundam vina deos veneratus thure Sabæo,
Dicendusq; Tuâ voce Borastus erit.
Egregia in nimbo dedit argumenta favoris;
Se fore, quæ fuerit sors mea cumq; meum.

Mar-

Martino Faustio.

DE Cynicis. non est quòd spreveris omnia, Fausti,
Extra se nullis Numina rebus egent.
Hoc illi vidêre Canes, pulcrumq; putârunt,
Si sibi sufficeret mens imitata Deum.
Id stolidi est, nostro mundus cùm serviat usu,
Naturæ impensis velle carere bonis.
Sed Cynicam rigidis Aquilonibus objice turbam,
Et muta Grajo Lappia rura polo:
Vasa Sinopensis sua deseret, ire dolabrâ
Doctus, & in quasvis arma parare feras.

Tumulus Catelli.

HOc Iuditha brevi rudiq; saxo
Signavit tumulum sui catelli.
Malebat Phrygium locare marmor:
At deêrat lapis hic. Coacta fecit,
Qualem agro fieri licebat urnam.
Sed casum referam necisq; caussam.
Infusus gremio suæ puellæ
Ille hospes Melitæus inde semet
Cùm libraret humi, repente fracta
Atq; allisa solo est tenella cervix.
Cùm busto tegeret puella flevit,
Hæcq; inter lacrumas subinde dixit:
O ne sic pereat catellus ullus!
Sic, dixi, pereat catellus omnis,
Vestræ deliciæ, salacibusq;
Illi passeribus salaciores.

Ad

Ad liberos.

ANtè fuit ſtupidus, nunc ſenſum perdidit omnem,
Vappius in patriam miſſus ab urbe Padi.
Ne tamti Auſonium, nati, credatis amictum,
Vt vos quæ perdunt, has adeatis aquas.
Vos fontem Eridani, Latium vos ſpernite Tybrin,
Si vos quod vegetet Rhenus & Albis habent.

De Euphemiâ.

HÆcne eſt, ô juvenes, meis Poëtis
Decantata nurus, ſed ante denas,
Tunc cùm virgo foret tenella, meſſes:
Illa Euphemia tunc decente naſo,
Formoſis oculis, & ore toto:
Apto pectore, ventre, ſuruliſq;
Et ſtricto pede, cùm ſinus honeſto
Nodo colligeret togæ fluentis,
Aut ultro daret hanc Notis ferendam?
Illa Euphemia? quamta nunc Chimæra eſt,
Quàm turpis nimio rubore vultus,
Hac ſtrumâ ſcabieq; puſtuliſq;!
Quamtum venter onus, graveſq; pygæ!
Quàm pes laxus, & immodeſta greſſu
Ipſa Euphemia! Quid mei Poëtæ
Nugarum artifices ſacraſtis ævo,
Quod vix tres trieteridas vigebat?
Quàm vellem, ô juvenes, adeſſet horum
Cantorum mihi portio, per omnes
Contendam ſuperos deos deaſq;,
Ipſos in ſubitum dari ruborem,
Hos ſi nunc videant ſuos amores.

Illuſtri

Illuſtri Domino Gregorio Boraſto &c. fautori optimo.

QVas Tibi jam nectit Cathedralis Stragona laurus?
Muſſat enim populus, celſe Boraſte, meus.
Da veniam culpæ Tu qui non omnis es exſors,
Hoc noſtri de Te ſi tacuêre libri.
Dum meditor, nec multa moror, ſeu publica tracto,
Interdum advertit me quoq; fama levis.

Ad Gotofredum filium.

HOc numero exactis digeſſi Epigrammata libris;
Et cum Pythagorâ Te colo ſancta decas
Sit ſatis has aliquod nomen quæsîſſe per artes,
Dum me non tamtùm lactea Druſis amat.
Sit ſatis armatis non eſſe ingrata locutum
Regibus, & magnos conciliaſſe deos.
Ad majora vocor non admiſſura quietem.
Carmina ſunt animi, nate, vacantis opus.
Si quid fortè tamen mea deinceps ſcrinia condent;
Vt dicant alii, Tu patris eſſe nega.
Sæpe, puer, vetui; quæ non vulgavimus ipſi,
Poſt obitum luſus inter habere meos.
Talia Neptuno, Veneris ſeu trade marito:
Neve aliter pereant, hoc Gotofrede cave.

FINIS.